

## OPUSCULUM XXXV.

IN LIBRUM BOETII DE HEBDOMADIBUS, EXPOSITIO

(EDIT. ROM. LXIX.)

### PROLOGUS S. THOMAE

Praecurre prior in domum tuam, et illuc advocare  
et illic lude, et age conceptiones tuas.

ECCLE, 32, 15.

Habet hoc privilegium sapientiae studium, quod operi suo prosequendo magis ipsa sibi sufficiat. In exterioribus enim operibus indiget homo plurimorum auxilio; sed in contemplatione sapientiae tanto aliquis efficacius operatur, quanto magis solitarius secum commoratur. Et ideo Sapiens in verbis propositis hominem ad seipsum revocat, dicens: "Praecurre prior in domum tuam, " idest ad mentem tuam ab exterioribus solite redeas, antequam ab alio occupetur, per cuius solicitudinem distrahatur: unde dicitur Sapient. 8, 16: "Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, " idest cum sapientia. Sicut autem requiritur ad contemplationem sapientiae quod mentem suam aliquis praecuppet, ut totam domum suam contemplatione sapientiae impleat; ita etiam requiritur quod ipse totus per intentionem interius adsit, ne scilicet ejus intentio ad diversa trahatur: et ideo subdit: "Et illuc advocare; " idest totam intentionem tuam ibi congrega. Sic igitur interior domo totaliter evacuata, et homine totaliter per intentionem in ea existente, quid agendum sit exponit subdens, "Et illic lude. " Ubi considerandum est, quod sapientiae contemplatio convenienter ludo comparatur, propter duo quae est in ludo invenire. Primo quidem, quia ludus delectabilis est, et contemplatio sapientiae maximam delectationem habet: unde Eccle, 24, 27, dicitur ex ore sapientiae: "Spiritus meus super mel dulcis. " Secundo, quia operationes ludi non ordinantur ad aliud, sed propter se quaeruntur. Et hoc idem competit in delectationibus sapientiae. Contingit enim quandoque quod aliquis apud seipsum delectatur in consideratione eorum quae concupiscit, vel quae agere proponit. Sed haec delectatio ordinatur ad aliquid exterius, ad quod nititur pervenire: quod si deficiat vel tardetur, delectationi hujusmodi adjungitur non minor afflictio, secundum illud Pro-

OPUS. XXXV. IN LIB. BOETII DE HEBDOM. LECT. I. TEXT. EXPL. 389

verb. 14, 13: "Ritus dolore miscebitur. " Sed delectatio contemplationis sapientiae in seipsa habet delectationis causam: unde nullam anxietatem patitur, quasi expectans aliquid quo desit. Propter quod dicitur Sap. 8, 16: "Non habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, " scilicet sapientiae. Et ideo divina sapientia suam delectationem ludo comparat, Proverb. 8, 30: "Delectabar per singulos dies, ludens coram eo: " ut per diversos dies, diversarum veritatum considerations intelligentur. Unde et hic subditur: "Et illic age conceptiones tuas, " per quas scilicet homo cognitionem accipit veritatis.

### LECTIO I.

#### TEXTUS

Postulas a me<sup>1</sup> ut ex hebdomadibus nostris, ejus quaestio[n]is obscuritatem quae continet modum quo substantiae in eo quod sunt, bona[e] sunt,<sup>2</sup> cum non sint substantialia bona, digeram, et paulo evidentius monstrem. Idque eo dicis esse faciendum quod non sit omnibus notum iter hujusmodi descriptionum. Tuus vero testis ipse sum, quam haec vivaciter fueris ante complexus. Hebdomadas vero ego ipse mihi commentor, potiusque ad memoriam meam speculata conservo, quam cuiquam participo: quorum lascivia ac petulantia, nihil a joco risuque patitur esse coniunctum.<sup>3</sup> Pro hinc tu ne sis obscuritatibus brevitatis adversus: quae cum sint arcani fida custodia, tamen<sup>4</sup> id babent commodi quod cum his solis qui digni sunt, loquuntur. Ut igitur in Mathematica fieri solet, ceterisque disciplinis,<sup>5</sup> proposui terminos regulasque quibus cuncta quae sequuntur efficiam. Communis animi conceptio est enuntiatio quam quisque probat auditam. Harum duplex modus est. Nam una ita communis est ut omnium sit hominum: veluti si hanc proponas: "si a duobus aequalibus aequalia demas,<sup>6</sup> quae relinquuntur, aequalia esse; " nullus id intelligens negat.<sup>7</sup> Alia vero est doctorum tantum, quae tamen ex talibus communibus animi conceptionibus venit, ut est "quae incorporalia sunt, in loco non esse; " et cetera quae non vulgus, sed docti comprobant.

#### EXPLANATIO

Hujus ergo exhortationis sectator Boetius de suis conceptionibus librum nobis edidit, qui de Hebdomadibus dicitur, idest de editionibus: quia in Graeco hebdomada idem est quod

<sup>1</sup> Al. deest a me.

<sup>2</sup> Al. quod sint, bona[e] sint.

<sup>3</sup> Al. disjunctum.

<sup>4</sup> Al. tum.

<sup>5</sup> Al. additur etiam.

<sup>6</sup> Al. auferas.

<sup>7</sup> Al. neget.